



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **De Vita Et Institvto S. Ignatii Societatis Iesv Fvndatoris. Libri Qvinque**

**Bartoli, Daniello**

**Lvgdvni, 1665**

XXX. Sociorum Ignatij hæreticis in Germania congressus, & vitæ in itinere ratio.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10840**

eam verò idcirco tunc præcipuè ex posci propitiâ quod eum casum vno De amore Franciscus incurrisset. Non fuit longa precatione opus ad hoc impetrandum quod Deo cordi erat concedere, nec enim ferebat Apostolum Christi nomen in oras vltimas portaturum, ipso in iterum aditu labori succumbere. Iacentem itaque nocturna quiete placidè refecit, postridie manè sic persanatum exhibuit, vt dissipatis frustatim funiculis residentè que in integrum carne, non vulnere modo, sed nauculi quidem, vestigium vllum apparet. Hic tamen tam crudus Xauerij casus, Iacobum Lainium, nihilo effecit in corporis sui tractatione mitiorem: asperrimum enim cilicium quod Parisiis discedens induerat, vsque Venetias nunquam sibi vt detraheret indulgit, tametsi corporis temperatione imbecillus, ægrotanti propior quàm conualescenti, Parisiis exisset.

## XXX.

*Sociorum Ignacij cum hæreticis in Germania congressus, & viri in itinere ratio.*

Reliquum iter occasionibus patientiæ iucundis, congressione cum hæreticis & felicibus periculis exercitū; huiusmodi fuit. Pedites ibant vestitu paupere, sed oblongo, qualis tunc academicorum Parisiensium, schemate peregrinantium; manu baculum, scriptotum sarcinulam humeris gestantes, cæterum tam rara collectaque modestia, vt quibuscumque occurrerent admirationem & sui quandam venerationem iniicerent. Contigit autem primo die vt in Gallorum inciderent locatas, quâ transitus erat, excubias; interrogati, qui, vnde, qua patria? vnus vice omnium responderet, quod qui erant inter illos hispani, profiteri absque peticulo patriam non possent. Ad horum interim aspectum qui substiterat resticus, ad milites conuersus, finite, inquit, abeant boni viri, ad corrigendos mores alicuius prouinciæ certo pergunt. Quod ex ore hominis simplicis temerè effusum pro dictorio quidem fuit, futurum forte in aliqua vaticinij opinione, nisi fundendos magna orbis parte eorum labores, in vnam prouinciam coartasset. Horas porro diei sic aptè digestas obseruabant, vt darent aliquas diuinis meditandis; Psalmis aliàs aut voce aut cantu summissò recitandis; quasdam communicationi mutæ piorum sermonum, & sensuum quos orando, meditandoque conceperant, qui tres in iis Sacerdotes erant, quotidiano sacro fungebantur; diuino epulo alij accumbebant, ita quisque sibi itineris comitem assumebat Christum cuius causa peregrinabatur. Hospitia sub noctem innox vt subierant, mane verò antequam exirent flexis vnâ genibus aliquid temporis precando tribuebant, pro tutela præterita grati, supplices pro futura. Quod pietatis speciem in diuersis singulari mouebat admirationem sibi quidem ad victum, monetâ aliquid seruarant, sed erat is tam parcus, & sobrius, vt perpetuo esset ieiunio similis. Ad spontaneas pœnas accedebant necessariæ difficilium viarum, rigidæ hiemis, & effusissimæ per Lotharingiam quotidie pluriæ, rantarum verò in Germania niuium, vt tridui moram interdum facere cogerentur, dum vias regias locorum periti vestigiis præuiis signassent, & esse inuiæ desissent. Verùm quantacumque siue vltro, seu necessariò tolerarent, incensa pietas, & caritatis alacritas iucundissimè condiebat, erat omnium ita cor vnum, & anima vna, vt quisque



que itineris comites, haberet octo amore fratres, obsequio, & subsidio famulos; adeo singulis & solliciti omnes erant, & omnium commodis posthabito proprio quisque seruebat. Nemo inter illos auctoritate superior, quod nullus ex iis eam admittere voluisset. Vbi consulto opus foret, suffragiis pluribus stabatur. Itinere vt dixi per Germaniam inito, ne si per Saltos, incurrerent in Cæsaris militem; haud tamen Gallos vitare potuerunt, qui Belgium per Lotharingiam subibant. Latrocinia palantium militum ipsos quoque domi tenebant indigenas, & vbiicumque nostri conspicerentur peregrini, velut inusitato Dei præsidio sospites, stupori erant; quæsiuitque ex iis non nemo, an aëre venissent, cum terra iter esset penitus inaccessum. Sed hoc præ cæteris insigne, Dei suos tuentis prodigium, cum in exercitus Gallici aciem inciderunt. Nam sexcentis versati modis, quinam essent? quò tenderent? cum semper idem de omnibus qui Gallicè norat, responderet; esse ex Parisiensi Academia studiosos, ad S. Nicolai pietatis causa proficisci, (& erant reipsa in Lotharingiæ finibus illac transitori) nihil vnquam præterea ex ipsis interrogatum est, ex quo possent qui erant in iis Hispani detegi, & quod certò futurum erat ab hoste detineri. Alios naçti sunt in Garmania casus, alteriusque discriminis ac benigna quidem hospitalitate non raro sunt ab catholicis accepti quos emollebat in lacrymas, fortis & vegeta iuuenum no- uem Religio, suspensa de collo Virginis corona, palam se inter hæreticos proferens; sensere tamen haud semel impiam hostium rabiem & insolentiam, non sine aperta, vitæ quoque perdendæ alea. In vrbes Luthero addictas vix pedem intulerant, & circumstitero illos statim ministrorum turba, & ad disputandum prouocare, haud quidem extricandi veri desiderio (nam Romanæ Ecclesiæ fidem veri studio reliquit nemo) sed innata hæreticis confidentia petulanti, quam incendebat, illa sui secuta hospitem libertas aut proritantium ad certamen, aut non timentium, professæ fidei manifestum signum, contrariæ fidei hominibus inferre. Nec abnuere nostri cum iis congregi, spe licet nulla bonæ illorum frugis, quos ad defensionem prauis iudicij, peior voluntas fulciebat; & quibus idcirco arbitraria erat credendi regula quod esset arbitraria viuendi. Sed Ro. saltem Ecclesiæ nomen, & Religionis Sacrosanctæ, disputatio sustinebat, auertebatque probra quibus insultaturi erant hospitibus, si vna illos aduersariorum ad disputandum inuitatio elingues effecisset; ac fidem præterea illorum falso damnaturi in qua propugnanda, defensores illius tacuissent. In hoc autem conflictu ingeniorum, & doctrinæ, mirum quantum Lainius eni- carer, in promptu responsa, & vim arguentis aciem, & solidam ministrum li ferre non poterant: & fuit qui victum se publicè fassus sit, etsi dans manus Lainio, veritati non dederit, sed vel in pristino errore defixus hæserit, vel in dissoluta ex eo errore viuendi licentia. Verum huic si parum profuit ita vinci, profuerit saltem iis qui aderant, indèque didicerint haudquaquam deinceps illi se credere, qui sui licet deceptionem apprimè doctus, nollet



nollet tamen eam dedoceri, nec decipiendi munere abstinere. Nihil autem ingenio minor singulorum moderatio elucebat, & humilis de seipso sensus, ex tumultuosa, & audaci prædicantium superbia clarior, qui conuictio, & contemptu soliti essent petitiones & vulnera exire, quæ rationibus non valerent, quod licet apud imperitos plausum suum ferret, apud quos semper is victor est cuius est magis insana, & arrogans inter disputandum vociferatio, sed non deerant cordati, qui rectè aduerterent, ministellos suos conuictis, nostros argumentis, & rationibus vincere. Quare erga illos afficiebantur, eosque hospitio elemosynis, viarum ducibus, humanissimè iuuabant. Iam decimo sexto ab Constantia milliari in Lutheranorum deuenerant pagum, cuius olim pastor tunc deserta Ecclesia lupus, vidit illos in diuersorium subeuntes, facileque dignouit esse Catholicos, ex templo itaque loci primarios accire, futuros victoriæ plausores quam de papistis perillustrem spe anteuertat; inuitare hospites ad pugnam, & ne punctum quidem respirandi de via iis concedere. Accepta libenti animo prouocatio; ei sustinendæ, primus in campum se dat Lainius, quanto indole mitior, tanto ad disputandum ardentior; tenuit horas aliquot certamen pastore multum infremente quoddam ingenij falsus bonitate expectationem quam fecerat, vno omnes haustu exorbendi, videret se fallere; ac ne ab vno quidem illorum se posset euoluere. Tandem seu fessus siue famelicus, inducias, inquit, dum cœnatur; & placidè mecum ait cœnabit, post integrabimus: & prælium vobis in crastinum condico ad videndos aiebat *libros meos, & liberos*; seorsum tamen ab eo cœnam tenuem, & sobriam cœnarunt; dum is cibo, & mero sese ingurgitat. Remota mensa, iteratur certamen, adstat frequens concursus, magna huius secundi conflictus fama, & fuit sanè haud paulò acrior priori, nam in hæretico præter ingenium, partes etiam vinum suas aliquanto fortius agebat quam disputantem condeceret; eratque idem, inter Lainium, & ipsum; quod inter fictum, & bene madidum discrimen. Haud tamen adeò exerrabat quin argumentis Lainij, eo vsque stringi se intelligeret, vt nullum sibi relinquerent exitum. Quare id denique in eo factum quod natium vino S. Ambrosius adscribit, vt absque cruciatu, dulci quæstione verum extorqueat, & vicisti, ait, nec quod possim referre suppetit vis aliud? Planè subdit vnus ex focis, aliud restaret, abiecto scilicet errore, ab eo pariter istos eximeres, qui tua fide illi credunt; nam cur & tueris, & doces, quæ vides cum vero non posse consistere? Et nosti optimè à fide errantibus, multoque magis auertentibus alios, æternas pœnas esse comparatas. His homo ebrius in furorem actus, multa dictu fœda, & barbara, sermone germanico fundere, ac minari; rescituros postridie, ecquem haberet præter disputationem tuendi sui modum; coniecturum se illos in compedes, exinde ipsos per se reliqua comperturos: post quæ furens, iactansque impias in Deum voces, sese proripuit. Quæ statim furiosi verba qui patribus interpretaretur non defuit, magnoperè suadens, quamprimum aufugerent, hominem esse



esse iis locis potentem, peiora etiam, quam quæ minatus fuerat ausurum. Sed Professioni sacrosanctæ, vilis animi notam sua fuga inuri abnuerunt, qui pro illa tam doctè, & fortiter steterant; ac si tum foret pro illa quoque moriendum, magno compendio quod in Palæstina quaesitam ibant, in Germania inuenturos. Suam igitur quisque vitam Deo libentissimè consecrare, & noctis eius partem potissimam precando, animandòque inuicem ducere: vix dilucescebat, hæretico adhuc hesternam coquente crapulam, cum Patrum hospitium procera vir, & eleganti forma ingreditur, annorum vt conici poterat, triginta; hic vultu facili, & lingua germanica; tum videns se minimè capi, nutu vario inuitare vt sequerentur; mox illum omnes, cunctante, quod mirum, nemine, ignotum, quocumque ductaret subsequi. Ille extra pagum, cæcis extra frequentiam semitis præire, respectare à tergo identidem; & interdum renidens nutu erigere, ac nihil metuerent, aut suspicarentur admonere; sed enim timori admiratio præuertebat, cum se illum nec tritis, nec rarè saltem vestigio impressis affectari viis cogitarent, quæ principio difficiles aditu, faciles postmodum, commodæque exirent. Præterea omnibus illic alta niue coopertis, per calles se duci qui soli essent tum niue vacui, tum sicci; post octauum denique milliare, in regia via cum illos statuisset, indicata quæ esset pergendum. comiter admodum ac beneuolè salutauit. Hic certè si bonus geniùs hominem præferens, non fuit, vt eorum quibusdam persuasum mansit, homo fuerit planè Angeli speciem, & officium gerens, à quo sunt ebrij prædicantis furori, & exitio erepti. Urbem Constantiam præteruerti pariter ab Luthero stantem, en tibi ex nosocomio, quod à pago vicino milliare distabat, anicula progredi, agnitisque rosarij signo Catholicis, obuam adire, lætitia gestiens, iisque iam propior, cancellatis in cruce brachiis, sublatisque in cælum cum fletu oculis, omnem illis honorem exhibere; demum illorum de collo pendentes Virginis coronas venerabunda osculari, & quiddam germanicè loqui ab iis minimè perceptum, nisi quod pios Catholicæ feminae hos esse motus interpretabantur, idque mox ab iis cognitum certius, indicans enim se iam redituram, cum recurrisset in nosocomium, fasce illicò rediit onusta miserabili, dissipata ferens rosaria, con fractas cruces, comminutas Deiparæ statuas, impietatis Lutheranae tristes reliquias; quas ipsa collectas piè asservarat. Dedere sacrilego spectaculo lacrymas serui Dei, proiectòque in terram corpore violati numinis, ac religionis, notas superstites adorarunt. Illa suo illo reportato domum thesauro, in pagum præire, ingressa Patres digito monstrare, & magna voce quibuscumque occurreret, quod post ex interprete rescitum, videre perfidi, quam falsò iactetis, vniuersos mortales Luthero vestro adhæsisse, nihil vsquam de Romana fide superesse: vnde igitur isti? è locis videlicet extra mundum sitis? quonam autem? opinor extra mundi fines vt loca reperiant in quibus catholicè viuatur. Factum bene quod vobis aures non præbui. Stultam creditis quod falli noluerim; stulti vos potius, & vsque stulti. Cognitum deinde à Patribus fuisse hanc



feminam in religionis proposito maximè constantem, quæ suafu, ac minis ad Lutherum diu à ministris in cassum pellecta, & demum ab iis velut amens, extra pagum eiecta, in nosocomium redacta fuerat, peste contactos excipere solitum. Mulieris voces, & peregrinorum fama multos ad disputandum exciuerat, nullius detrectata pronocatio, admissi omnes ad certamen; sed inani successu, hæreticis vbiicumque argumento premerentur vni sacre pagine textui, stare obstinantibus, & ex vna illa editione Germanica proferri, adulterata, & mutila.

XXXI. Sociorum Ignatij charitatis & sui victoris in Nosodochio.

Parisus hæcenus socios nouem in Italiam affectamur, dierum itinere supra quinquaginta, per continuata discrimina, & perpeffiones; quibus optatus Venetias appulsus die Ianu. 8. ann. 1537. longèque optatior parentis optimi ac Magistri Ignatij conspectus finem dedit. Salutantur ab eo manantibus præ gaudio lacrymis, & inter charissimos eorum complexus amplissimæ Deo aguntur gratiæ, quod non sanos modo & integro numero, sed accessione trium aucto illos reciperet. Noluit autem festinè adeò, & sine mora Romam illos contendere, sed nonnihil quietis, dum opportunior vocaret tempestas, interea capere; quale capi ab sanctis scilicet consuevit, non omittendo labores, sed mutando: quare in duas tributi pauperum hospitalis domos se diuidunt; alteram insanabilium, quæ Xauerio obtrigit, SS. Ioannis, & Pauli alteram, in qua pridem frequens erat Ignatius. Illo in duplici charitatis, & suiipsius edomandi ludo, quanta publicè ad exemplum, priuatim ad meritum patrarint, nemo quidem ex iis disertè prodidit, quantum tamen est quod ad nos peruenit eiusmodi est vt etiam virtute præstantibus admirationi magis, quàm imitationi futurum sit: fuit qui rogatus ab ægroto pessima scabie confecto, spinæ dorsi aliquid admouere, horrore foedissimi vlcis auerti se sentiens, collectam saniam ori indiderit, tam inuictò planè, quàm violento infemet imperio. Vterius quoque Xauerius ausus est, labra sanioso applicuit vlceri, & purulentum ex eo virus lingua duxit. Videns alius ab Nosodochio SS. Ioannis, & Pauli, lectorum inopia leprosum excludi, huic sui lectuli parte cessit, ex quo factum vt die insequenti totum se lepra squalere viderit, leproso nusquam præterea apparente. Neque tamen suæ illum caritatis pœnituit, sed eam patientiæ segetem; officij præmium censuit infelici leproso præstiti: quamquam breuis admodum hæc fuit, mane postera die perinde se mundum & sanum vt ante fuerat reperit. Sunt hæc aliquot gesta Heroicæ, charitatis, & illustris suiimet victoriæ, imo quam illic ponebant seruitus perpetuum erat arduæ virtutis gymnasium lectos sternere, mederi vlcibus, ægrotos in brachia tollere, abluere, purgare ab sordibus, & sordidissimi cuiusuis ministerij operam iis dare; noctes ad hæc cum illis vigiles trahere, solari piis de Deo sermonibus, precibus ad Deum iuuare, monere, hortari ad fructuosam patientiam, ad mortem parare, postremo functorum componere corpora, & terræ mandare; hæc eo animo suscepta, ea pietate, modestia, & alacritate obita quam ij sãdhibent qui suam Christo in suis pauperibus seruitutem locare se cogitant, totas ad se Venetias breuè